

puncti fuerint, quos rebus secundis præfractè suppresserunt, præ-
terea desperatione mortisq; formidine circumventi, agnitionis
scintillulas in imis mentis adytis latitantes suscitare nequiverunt.
Nervosè, ut solet, totum hoc complexus est acutissimus noster,
Hülsemannus in Breviario Theologico sic docens: *Esse DEUM,*
esse unum summum, quò non sit alius prior, esse potentem, boni remun-
neratorem & mali vindicem, ex librò naturæ & coonscientiæ huma-
no ingenio elicitur, & fide humanâ creditur, quæ justâ DEI desertio-
ne & Diaboli potentiâ sic potest elidi, ut possibile sit dari ad tempus
quosdam speculativè atheos, non per naturam, sed per excecationem.

§. 12.

Cùm igitur langvida admodùm fit qualiscunq; hæc scientia,
naturalis, sibiq; relicta hinc inde vacillet, prona quòq; est & facilè
proclivis in Idiolatriam. Eâq; de causâ Gentiles plures semper
sibi Deos confinxere, partim in Solem & Lunam, reliquaq; sidera
cœlestia, partim alias etiam visibiles res defixi; unde nota sunt
Jovis, Saturni, Apollinis, Mercurii, Veneris nomina & Numina:
ultrò tria millia vulgò numerant; id quod Apostolus taxat, in-
quiens: ἠλλαξαν τὴν δόξαν ἀφ' ἑαυτῶν θεῶν ἐν ὁμοιωματικῇ εἰκόνι & φασκεύει ἀν-
θρώπων, καὶ πτερυγῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἐρπετῶν. (Rom. I, 23.)

§. 13.

Quanquam aliqui de mediò illorum reverà unum tantummodò
DEUM venerati videri velint, multis interim appellationibus ob
varias operationes insignitum, quia majestatis olim fuerit, plus
quàm simplici titulò salutari. Certè Maximus ad Augustinum
pro se suisque purgandis æqualibus sequentia perscripsit verba:
Equidem unum esse DEUM summum atq; magnificentum, quis tam
demens, tam mente captus, negat esse verissimum? hujus nos virtu-
tes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocamus, quo-
niam nomen ejus cuncti proprium ignoramus: nam DEUS omnibus
religionibus commune nomen est, ita fit, ut dum ejus quasi quædam
membra carptim variis supplicationibus prosequimur, totum colere,
perfectò videamur. Sic Plato ad Dionysium: Se quando seriò scri-
bat, ordiri epistolam ab uno DEO, cum secus à pluribus. Idem per-
svadere